


DR. ANTONIUS WEISS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET PATROLOGIAE PROFESSOR P. O.

IN UNIVERSITATE GRAECENSI



HISTORIA ECCLESIASTICA
LITES ANTHROPOLOGICAE
I. PELAGIANISMUS
DOCTRINA S. AUGUSTINI
II. SEMIPELAGIANISMUS



CRACOVIAE 2018

www.ultramontes.pl

HISTORIA ECCLESIASTICA

AUCTORE

DRE. ANTONIO WEISS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET PATROLOGIAE PROFESSORE P. O.

IN UNIVERSITATE GRAECENSI

TOMUS I

Lites anthropologicae. I. Pelagianismus. Doctrina S. Augustini. II. Semipelagianismus

§ 70

Lites anthropologicae

Scripta Pelagii (*Commentarii in epp. S. Pauli*, ed. Zimmer, *Pelagius in Irland*, Berlin 1901; *Epistula ad Demetriadem* [Migne, P L., XXX., 645-902, 14-45, et XXXIII., 1099-1120]; *Libellus fidei ad Innocentium Papam* [Migne, l. c. XLV., 1716-1718]), Caelestii et Juliani Eclanensis (*4 ll. ad Turbantium* et *8 ll. ad Florum*) maxima ex parte apud Hieronymum (*Ep. ad Ktesiphontem, Dialogus contra Pelagianos*) et Augustinum (Migne, l. c. XLIV. et XLV.; ed. Maur., t. X et c. 20 epp., inter quas epp. 186 et 194 maximi momenti). Orosius, *Liber apologeticus contra Pelagium*, ed. Zangemeister, Vindob. 1882. Marius Mercator, *Commonitorium super nomine Caelestii; Commonitorium adversus haeresim Pelagii et Caelestii* (Migne, P L., XLVIII., 63 sqq). Hefele, *Conciliengeschichte*, II², 104 ff. Klasen, *Pelagianistische Kommentare zu dreizehn Briefen des heil. Paulus*, in T Q Sch., 1885, S. 244 ff. 531 ff.; *Die innere Entwicklung des Pelagianismus*, Freib. 1882. Reiter, *Eine unedierte Schrift des Pelagius* (Serta Harteliana [Wien 1896], S. 134-136); *Corpus Pelagianum* (2 epp.: *De divitiis*; 3 epp.: *De malis doctoribus* etc.), ed. Caspari, *Briefe, Abhandlungen und Predigten aus den zwei letzten Jahrhunderten des Altertums* etc., Christiania 1890, 1-167. Wörter, *Der Pelagianismus nach seinem Ursprunge und seiner Lehre*, 2. Aufl., Freib. 1874;

Beitrage zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus, Paderborn 1898, et K g St. (V., 2), Münster 1900. Ginzel, *Kirchenhistorische Schriften* (Wien 1872), I, 263 ff. Ernst, *Pelagianische Studien* (Katholik, 1884, II., 225 ff.; 1885, I., 241 ff.). Wiggers, *Versuch einer pragmatischen Darstellung des Augustinismus und Pelagianismus* (Neue Ausgabe), Hamb. 1833, 2 Bde. Jacobi, *Die Lehre des Pelagianismus*, Leipzig 1842. Bruckner, *Julian von Eclanum, sein Leben und Seine Lehre* (T U., XV., 3), Leipzig 1897. Harnack, *Dogmengeschichte*, III³, 56 ff. Hergenröther-Kirsch, *Kirchengeschichte*, I., 535 ff. Möller-Schubert, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, I., 629 ff.

Cum Oriens praesertim quaestionibus theologicis et christologicis occupatus esset, in Occidente inde a saec. V. controversiae anthropologicae et soteriologicae de primitivo hominis statu, de relatione gratiae divinae ad hominis libertatem et de fructibus redemptionis ortae sunt. Lites istae in duobus stadiis decurrerunt, nam Ecclesia imprimis contra rationalismum et naturalismum Pelagianorum necessitatem gratiae divinae et redemptionis defendere, dein contra Semipelagianos agendi rationem gratiae divinae et libertatis humanae eorumque cooperationem ad hominis salutem accuratius definire debuit.

I. Pelagianismus

Nomen habet haec haeresis a Pelagio (antea Morgan dictus?) monacho, qui in Britannia (?) natus circa finem saec. IV Romam venit et ibi eruditione et morum honestate excellens magno fruebatur honore (1). Expositioni epistularum S. Pauli deditus forsan doctrinam Theodori Mopsuesteni cognovit, quam discipulus ejus Rufinus Syrus (?) sub Anastasio I. (399 – 401) Papa ibi disseminasse dicitur (2). Cum in studio suo ascetico cognovisset, hominem propriis viribus in virtute multum proficere posse et suam ignaviam frustra imbecillitate naturae excusare, contra Manichaeorum aliorumque doctrinam libertatem hominis efferre et necessitatem gratiae divinae impugnare coepit. Ex ejus discipulis praesertim eminebat Caelestius, forsan Italicus, prius auditorialis scholasticus, dein monachus (3), qui mox apertius quam Pelagius errores suos sparsit. Dum Pelagius premendo vires libertatis magis occulte et practice ad virtutem excitare studuit (4), Caelestius scientificè et speculative "incredibili loquacitate" peccatum originale (traducem peccati) et necessitatem baptismi impugnavit (5). Irruentibus Gothis sub Alarico a. 410 ambo in Africam fugerunt, unde Pelagius in Palaestinam se contulit, ubi Joannes

Hierosolymitanus eum recepit. Caelestius autem Carthagine consistens errores aperte spargebat et simul presbyteri honorem ambiit. Attamen Paulinus diaconus Mediolanensis, tunc in Africa praesens eum accusavit in synodo Carthaginiensi a. 412 (411) apud Aurelium ep. Carth. propter septem propositiones, quas Caelestius docuerit, nempe

1. Adam mortalem factum, qui sive peccaret sive non peccaret moriturus fuisset; 2. peccatum Adae ipsum solum laesit, non genus humanum; 3. parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante praevaricationem; 4. neque per mortem vel praevaricationem Adae omne genus hominum moritur, nec per resurrectionem Christi omne genus hominum resurget; 5. infantes etiamsi non baptizentur, habent vitam aeternam; 6. lex sic mittit ad regnum coelorum quomodo et evangelium; 7. et ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, i. e. sine peccato; hominem posse esse sine peccato et mandata Dei facile custodire, si velit. (6)

Caelestius se excusavit dicens, non agi de dogmate ab Ecclesia definito, necessitatem baptismi pro parvulis se concedere, ut ingrediantur in regnum coelorum, quod autem a vita aeterna distinxit. Cum revocare nollet, excommunicatus est et appellavit ad Sedem Romanam, Carthagine autem discedens Ephesum se contulit, ubi presbyter ordinatus est.

Doctrina Pelagianorum. Illis 7 thesibus revera cardo et essentia totius systematis rationalistici Pelagianorum continetur, quamvis negari nequeat, hoc systema demum successive, praesertim a Juliano episcopo Eclanensi in pugna ejus cum S. Augustino magis expositum esse (7). Dei supremae qualitates sunt bonitas et justitia; ergo omnia, quae creavit, bona erant non tantum initio sed etiam nunc (8). Naturalia autem, quae bona creata sunt, non convertuntur, sed perseverant; ergo non dantur "peccata naturalia". Principalis dos hominis est ejus voluntas ceu liberum arbitrium et ratio. Voluntas est nihil aliud, quam motus animi cogente nullo (9) vel secundum Julianum possibilitas boni et mali (10). "Duce ratione" homo bonum faciat, nam Deus vult voluntarium exsecutorem justitiae. Malum seu peccatum est voluntas faciendi, quod justitia vetat et unde liberum est abstinere; malum non est aliquod elementum vel corpus, vel natura nec natura conversa, sed tantum ex voluntate procedit ergo numquam in naturam transire nec hereditate quasi in alios transferri potest (11). Peccatum Pelagius ex insidiis diaboli et ex concupiscentia (gula et libidine) deduxit, ergo concupiscentiam, quae virginitate et continentia superari debet, damnavit; oritur non ex substantia carnis, quia tunc Deus ejus auctor esset, sed ex operibus carnis. Ast Julianus, bene intelligens, desideria carnis non posse mala esse, si substantia carnis bona est, libidinem innoxiam, a Deo concessam et nec in genere suo, nec in specie nec in modo culpam esse, sed tantum in excessu; genus et speciem a Deo esse, modum pertinere ad arbitrium honestatis, excessum autem ad vitium voluntatis

(12). Virginitatem non melius esse matrimonio et pudorem sicut cynici solum convenientiae et consuetudinis rem esse et etiam Christum concupiscentiae subjectum fuisse dixit (13). Si ergo peccatum et virtus res solius voluntatis est, inde sequebatur, quodlibet peccatum esse peccatum mortale, quia ex sola mala voluntate procedit.

Quatenus Pelagiani haec principia sui systematis ad s. Scripturam et religionem christianam applicabant, dicebant 1. Adamum gratia et sanctitate naturali, quae autem tantum in libero arbitrio et ratione consistebat et inamissibilis erat, ornatum fuisse. 2. Adamus peccavit per liberam voluntatem, sed inde ejus natura non est corrupta (14) nec mors corporalis hujus peccati sequela est, sed tantum mors animae. 3. Ergo corporis mors non ab Adamo ad ejus posteros transiit (15) et mors animae tantum eatenus, quatenus ipsi personaliter peccaverunt. Si omnes homines per mortem Adami morerentur, tunc etiam per resurrectionem Christi omnes resurgere deberent. 4. Multo minus peccatum vel culpa Adami in posteros transiit. Doctrina de traduce peccati vel peccato originis manichaica, blasphema et absurda ipsis videbatur, quia sic natura tamquam mala statueretur, Dei justitia negaretur et matrimonium damnaretur. 5. Ergo naturalis conditio hominis nunc talis est, qualis fuit Adami ante peccatum. Essentiale discrimen tantum in eo consistit, quod Adam statim ab initio usum rationis habuerit et mala exempla ipsi obversata non fuerint, quae parvulos et adultos nunc perturbant (16). 6. Hinc Pelagiani etiam de redemptione et gratia recte sentire non poterant, per quam recepimus, quod in Adamo perdidimus. Redemptio destruitur et gratia superflua, imo etiam quatenus voluntatem movere debeat, impossibilis declaratur, nam "homo libero arbitrio emancipatus a Deo" gratia certe non indiget (17). Sub gratia primo dona naturalia creationis intelligunt, quare "perfecta justitia" jam apud "antiquos homines" invenitur et nullum discrimen est inter bonum ethnicum et bonum Christianum; deinde legem et doctrinam ac illuminationem, quae bonum facilius reddunt et per Christum nobis dantur; denique exemplum Christi, praesertim in ejus morte; ast gratiam supernaturalem internam voluntatem moventem, i. e. gratiam actualem ad singulos actus et justificantem numquam concesserunt (18). Veram remissionem peccatorum non agnoverunt, sed tantum non – imputationem peccatorum admiserunt, baptismum pro parvulis quidem necessarium habebant, sed tantum, ut regnum coelorum, i. e. summum gradum felicitatis, non autem, ut vitam aeternam obtineant. Gratiam denique per Christum secundum merita dari (19) et non necessariam esse dicebant; nam impeccantiam homo suis viribus, Christianus autem facilius per haec adjuncta sibi acquirere potest (20). Unde non Deus justificat hominem, sed homo semetipsum (21).

Interim Pelagius in Palaestina degebat, ast ibi Hieronymus contra eum *Epistulam* (133) *ad Ktesiphontem* et *Dialogum contra Pelagianos* scripsit, quia in hac doctrina vestigia Origenismi invenisse sibi visus est. Conditio Pelagii pejor evasit, quia Augustinus Caelestium, qui in opere

nunc perditio (22) jam aperte suam doctrinam publicaverat in suis scriptis *De peccatorum meritis et remissione*, *De baptismo parvulorum*, 3 ll., et *De spiritu et littera* impugnavit. Pelagius, qui tunc in *Epistula ad Demetriadem virginem* suam doctrinam proposuit, contra Hieronymum opus *De natura* exaravit, quod Augustinus in suo opere *De natura et gratia* redarguit. Insuper Augustinus presbyterum Orosium Hierosolymam misit, qui Pelagium apud Joannem, episcopum hujus urbis, pravae doctrinae accusavit. Ast in synodo a. 415 (mense Junio) Hierosolymis coacta Pelagius se defendit, Augustini auctoritatem sibi objectam non agnovit omnemque culpam in Caelestium revolvit et cum Joannes episcopus latine et Orosius graece nescissent ac interpretes fraudulenter egissent, silentio imposito tota controversia ad Sedem Romanam delata est (23). Multo pejus accidit in synodo Diospolitana seu Lyddensi eodem anno (20.-23. Dec.) praeside Eulogio Caesariensi episcopo congregata, nam cum ibi accusatores Pelagii, Heros Arelatensis et Lazarus Aquensis episcopi non comparuissent et libellus accusatorius latine scriptus non totaliter per interpretem praelectus, Pelagius autem suam doctrinam subdole interpretatus esset, ipse a 14 episcopis ibi praesentibus orthodoxus declaratus est (24). Tunc furor factionis Pelagianorum contra Hieronymum ejusque monachos se convertit, qui male tractati quorumque monasteria incensa sunt. Pelagius ipse de victoria sua gloriabatur et in 4 ll. *De libero arbitrio* (25) apertius suam doctrinam protulit.

Cum deinde episcopi Heros et Lazarus ac Orosius (26) de tristi exitu hujus synodi ad Africanos episcopos, tunc in synodo Carthaginiensi a. 416 praeside Aurelio archiepiscopo congregatos retulissent, hi (numero 67) confirmarunt, quae ante quinque annos (411) contra Caelestium decreverant et relationem ad Innocentium I. Papam (401 – 417) miserunt. Eodem anno synodus Milevitana 60 episcoporum sub Sylvano, Numidiae primate, Pelagii et Caelestii errores damnavit et epistulam de hac causa ad Innocentium I. scripsit. Mox tertia epistula ad Papam directa est, a quinque episcopis, inter quos Aurelius et Augustinus erant, subscripta, in qua doctrina de gratia prolixè exposita et Pelagii scriptum *De natura* et Augustini *De natura et gratia* appositum erat (27). Innocentius causa in synodo Romana (mense Januario 417) examinata Africanis plane consentiens eorumque zelum laudans rescripsit, Pelagii et Caelestii errores damnavit et utrumque donec resipiscerent, communione Ecclesiae exclusit (28). Tunc Augustinus edixit: "Jam de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error" (29).

Reipsa tamen error finitus non est. Tunc enim oblatus est Zosimo (417 – 418) Innocentii successori libellus Pelagii, in quo se justificare studuit et sub variis modificationibus doctrinae suae et reservationibus mentalibus necessitatem gratiae profiteri videbatur; simulque adversarios suos Manichaeismi et Jovinianismi accusavit. Junctae erant litterae commendatitiae Prayli episcopi Hierosolymitani, successoris Joannis (30). Caelestius ipse Romam properavit et Zosimo Papae modis omnibus persuadere conatus est, se esse catholicum et praesertim adjecit, se damnaturum esse, quae Apostolica Sedes damnaret. Propterea Pontifex censuit, lenius cum Pelagio et Caelestio agere. Nullatenus quidem doctrinam, quam reipsa illi haeretici tenebant, approbavit, sed errores eorum non perspexit atque existimavit, eos animo saltem catholicae doctrinae addictos esse, et si quae opiniones eorum falsae essent, eos haud pertinaciter illis inhaerere. Hinc quidem Caelestium nequaquam ab anathemate absolvit, sed moram eidem concessit et datis ad Africanos litteris in favorem Pelagii et Caelestii illos arguit, quod praecipitanter egissent et monuit, ut infra duos menses Romam mitterent, qui Pelagium et Caelestium haeticos esse probarent. Verum Africani de hac re minime dubii impetrato 30. Aprili 418 edicto imperatoris contra Pelagianos, mense Majo ejusdem anni Carthagine synodum 200 episcoporum coegerunt, in qua 8 (vel 9) canones contra Pelagianismum direxerunt et in litteris ad Zosimum Papam Pelagii et Caelestii fraudes et cuncta, quae in eorum causa egerant, exposuerunt.

Has fraudes interim Zosimus jam ipse detexit et Caelestium, qui iterum citatus Roma aufugerat ac Pelagium eorumque doctrinam damnavit eaque de re ad universos orbis christiani episcopos epistulam encyclicam ad subscribendum dedit, quae *Tractatoria* appellari solet (31). Huic omnes ubique episcopi subscripserunt exceptis octodecim, inter quos praecipuus erat Julianus Eclanensis episcopus, contra quem Augustinus usque ad suam mortem pugnavit. Ipse ad Theodorum Mopsuestenum dein cum Caelestio ad Nestorium Constantinopolitanum fugit, ubi Marius Mercator a. 429 suo *Commonitorio adversus haeresim Pelagii et Caelestii vel etiam scripta Juliani* imperatorem ad eorum expulsionem permovit. In concilio Ephesino 431 una cum Nestorio etiam errores Pelagii damnati sunt et abhinc Pelagianismus in Oriente evanuit. De fine Pelagii forsitan in Palaestina nil certi constat; etiam de fatibus Caelestii post a. 425, quo a Caelestino Papa audientiam petiit (32), nihil scimus et Julianus secundum Gennadium (*De scriptoribus ecclesiasticis*, 45) sub Valentiniano III. (425 – 455) mortuus est. In Gallia et Anglia Pelagianismus diutius duravit, sicut synodi a. 429, 446 et 447 in Gallia et synodus a. 519 Meneviae in Anglia habitae testantur.

Doctrina S. Augustini

Contra naturalismum Pelagianorum Augustinus imprimis asseruit, Deum primum hominem ad consequendum supernaturalem finem praeter – et supernaturalibus donis, nempe immortalitate ("posse non mori"), libertate a concupiscentia rebeli, dominio eminente super creaturas, sanctitate et justitia exornasse. Libertate praeditus peccare quidem poterat, ast simul adiutorium perseverantiae ei datum erat, quo si homo recte usus esset, Deus ipsi tamquam bene meriti praemium reddidisset impossibilitatem peccandi, ut sic homo Deo, cujus est imago, fieret quam simillimus (*Opus imp. c. Jul.*, V., 28 sqq.)

1. Homo autem in probatione non stetit et propter suam ineffabilem apostasiam a Deo et grande peccatum supranaturalibus donis spoliatus et in naturalibus vulneratus est; ita ut nunc morti et concupiscentiae obnoxius ac potestati diaboli subjectus, non tamen usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum adfectuum labe detrita sit, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. Hoc autem peccatum cum suis malis sequelis etiam in Adami posteros transiit, ita ut totum genus humanum nunc massa perditionis, damnabilis et damnata factum sit. Propagationem peccati exinde deducit, quod Adamus caput totius generis humani fuerit omnesque homines quasi repraesentaverit ("in quo" [Rom. 5, 12] = "in Adam") (33). In quaestione autem, quomodo peccatum originale in posteros transeat, Augustinus anceps haesit, utrum ex traduce parentum transferatur (per generationem) an anima a Deo creata per conjunctionem cum carne peccato vitata eodem inficiatur (34). Concupiscentia ipsi est quodammodo vehiculum peccati originalis (35), qua fit, ut etiam de legitimis nuptiis filiorum Dei non filii Dei, sed filii saeculi nascantur, qui peccati vinculo obstricti sunt et proinde merito sub diaboli potestate captivi tenentur. Quomodo autem hoc fieri possit, similitudine olei atque oleastri iterato illustrat (*De nupt. et conc.*, I., 20-29. *C. Jul.*, VI., 15-21). Neque tamen ob admissum peccatum originale liberum hominis arbitrium negavit, quamvis per malum usum vitatum et debilitatum sit. Hunc miserrimum statum naturae lapsae Augustinus contra Pelagianos, qui peccatum originale ejusque tristes sequelas negabant, saepius vividis coloribus depingit (cf. *Op. imp. c. Jul.*, VI. etc.), unde reformatores saec. XVI., Bajus et Jansenius pro doctrina sua de libertate et viribus moralibus hominis prorsus extinctis libenter, sed frustra ad Augustinum provocant, nam ipse non tantum libertatem hominis lapsi adstruit (*Contra duas epp. Pelag.*, I., 2, 5; II., 5, 9), sed etiam hominem nondum justificatum bonum et meritorium velle et facere posse defendit (cf. *De spir. et litt.*, 27-28. 48) et si nonnumquam (*Contra duas epp. Pelag.*, III., 5, 15; *C. Jul.*, IV., 3, 32) virtutes et opera infidelium rejicit, tunc ea, sicut ex contextu apparet, solummodo ob finem eorum perversum seu ob malitiam operantis, vel ob malum

fontem, ex quo procedunt (*C. Jul.*, IV., 3, 25) vel cum respectu ad supernaturalem finem et in comparatione cum vera iustitia supernaturali repudiat (36).

2. Hanc supernaturalem iustitiam homo etenim suis viribus adipisci non potest, et nec ad initium fidei, nec ad principium suae conversionis pervenire valet, sed indiget gratia, et quidem vera interna excitante et praeveniente gratia, gratis data (37). Dum homo eam sequitur, justificatur in sacramento baptismi et haec justificatio in oppositione Pelagianorum est vera interna regeneratio et renovatio hominis, quae eum ad veram libertatem perducit (38). Haec habitualis gratia acquiritur et conservatur gratia actuali, hominem adjuvante, sine qua homo (supernaturaliter) bonum nec velle nec perficere potest. Gratia Dei etiam perseverantiam hominis in bono operatur (donum perseverantiae) (39).

3. Denique quod praedestinationem attinet, Augustinus dicit: Haec est praedestinatio sanctorum, nihil aliud: praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur (40). Docuit ergo ultimis vitae suae annis absolutam praedestinationem hominis ad vitam et gloriam. Quoniam per peccatum Adami totum genus humanum quasi massa damnata facta est, Deus ex mera misericordia nonnullos absque meritis eorum elegit (41), ceteri in massa perditionis divino iudicio relinquuntur (42). Cur vero Deus alios ad vitam praedestinaverit, alios non, ad inscrutabilia Dei iudicia refert (43).

II. Semipelagianismus

Augustini doctrina de gratia et praedestinatione non solum ab haereticis Pelagianis impugnata est, sed etiam non omnibus Catholicis placuit. Sic nonnulli ex monachis A drumetensibus in Byzacena Africae provincia putabant, per S. Augustini doctrinam de gratia omnino gratis data liberum hominis arbitrium tolli, ac justum Dei iudicium, quo homines juxta meritum operum suorum mercedem sive poenam aliquando recipient, in suo proprio fundamento negari asserebant. Si Deus velle et agere in nobis operetur, praepositi tantum orare deberent pro subditis, ut Deus iis gratiam concedat ad bene operandum, non autem praecipere eosque corripere et arguere, si praecepta non fecerint, nam defuit gratia.

Propterea scripsit Augustinus a. 427 ad eorum abbatem Valentinum librum *De gratia et libero arbitrio* (44), ubi de cooperatione gratiae et liberi arbitrii ad salutem hominis agit et ostendit, liberum arbitrium non incipere, nisi prius a solo Deo excitetur, neque credere posse, nisi fides ei a Deo donetur, neque diligere nisi acceperit a Deo et merita nostra ex gratia Dei orta vere esse dona Dei. In libro *De correptione et gratia* (45) ad eundem abbatem ejusque monachos paulo post

scripto autem docet, ex hac gratiae necessitate nequaquam sequi correptionem delinquentium esse plane superfluum. Ostendit correptionis utilitatem generatim pro omnibus, ut peccantes ad poenitentiam et orationem simul agente gratia divina perducantur et quamvis fides et perseverantia sint donum Dei, tamen etiam cooperationem voluntatis necessariam esse affirmat. Monachi exinde acquiescere videbantur.

Eodem tempore Augustinus ad Vitalem episcopum Carthaginiensem scripsit (46), qui docuit, initium fidei et boni operis ab homine procedere, qui doctrinae Christi sibi annunciatae consentiat et tali modo justificetur. Hunc errorem Augustinus redarguit, asserens, si infideles viribus liberi arbitrii ad fidem pervenire possent, tunc non necessarium esse, sec. Ecclesiae consuetudinem pro ipsis orare (47).

Praecipue vero Massiliae in Gallia multi ex clero et praesertim ex monachis Augustini scripta, maxime librum de correptione et gratia impugnabant, putantes doctrinam ejus de vocatione electorum secundum Dei propositum SS. Patrum scriptis et ecclesiastico sensui contrariam esse et praedestinationem ad fidem et gloriam ante praevisa merita ex mero Dei beneplacito et lapsis curam resurgendi adimere et sanctis occasionem teporis afferre et sic fatalem quandam necessitatem induci. Ipsi libertati hominis ejusque activitati plus tribuentes, media quasi via incedere volebant inter Pelagianorum et S. Augustini doctrinam de gratia et a Prospero Aquitano, qui eos impugnavit "reliquiae Pelagianismi", serius vero Semipelagiani vel Massilienses dicti sunt. Caput eorum erat Joannes Cassianus, abbas monasterii S. Victoris Massiliae, qui a. 405 ex Palaestina et Aegypto in Galliam veniens, ibi duo monasteria fundaverat et *Collationes XXIV* scripsit, in quarum XIII. Semipelagianismus docetur (48).

Semipelagianorum doctrina: Cum Ecclesia catholica peccatum originale agnoscebat, sed ejus sequelas minuebant, simul etiam contra Pelagianos necessitatem internae gratiae, inspirationis et excitationis bonae voluntatis defendebant, hominem autem suis viribus ad initium fidei pervenire posse dicebant, quod complectitur receptionem fidei in corde et animo, desiderium salutis, orationem ac petitionem divini auxilii (49). Incrementum fidei vel opus bonum totum gratiae opus est (50). Complementum fidei autem vel perseverantia in fide et bonis operibus ex propria hominis libertate et bona voluntate pendet. Quod praedestinationem attinet, docebant, Deum omnium hominum salutem serio velle et Christi redemptionem non esse coarctatam ad parvum numerum electorum, sed omnes homines comprehendere. Hinc praedestinatio praescientiae Dei innitur,

qui illis dat gratiam, quos solo libero arbitrio absque gratiae divinae auxilio fidem amplecti velle praevidit, gloriam vero illis, quos praevidit in accepta gratia naturali vi voluntatis perseveraturos esse usque in finem, ut ergo praedestinatio e solo libero hominis arbitrio ejusque merito pendeat (51).

Cum Augustinus de eorum doctrina per Prosperum Aquitanum et Hilarium, utrumque laicum eruditum, certior factus esset, duo opera ad eos contra Semipelagianos direxit: *De praedestinatione sanctorum* (52) et *De dono perseverantiae* (53), in quibus Semipelagianos tamquam fratres errantes ad agnitionem doctrinae perducere studuit, non solum incrementum, sed etiam initium fidei donum Dei esse, gratiam non secundum merita dari et etiam praedestinationem et perseverantiam gratuitam esse. Defuncto Augustino Prosper Aquitanus pugnam contra "reliquias Pelagianorum" continuavit (54). Cum autem parum proficeret, a. 431 cum Hilario Romam ad Coelestinum Papam profectus est et ab eo litteras impetravit ad episcopos Galliae, quibus Pontifex doctrinae S. Augustini oppugnatorum audaciam et disceptationes coercuit ejusque memoriam vindicavit (55). Cassianus in pace Ecclesiae requievit († c. 435), attamen Semipelagianismus in Gallia diutius duravit ac Gennadius Massiliensis, Vincentius Lirinensis aliique eidem adhuc adhaerebant.

Sicut jam Prosper Aquitanus Augustini doctrinam de gratia modificaverat, sic praesertim auctor scripti "*De vocatione omnium gentium*" harmoniam gratiae et liberi arbitrii ingenuose exposuit, gratiam universalem (in natura et historia) et specialem (salutiferam in Christo) distinxit, necessitatem gratiae quidem defendit, sed ejus irresistibilitatem rejecit (56). E contra liber *Praedestinatus* sententiam Augustini depravavit et adulteravit doctrinam de strictissima duplici praedestinatione ei adscribendo (57). Semipelagianismus tunc praesertim in Fausto Rejensi episcopo († c. 493) antea abbate Lirinensi praecipuum defensorem invenit, ansam praebente presbytero Lucido, qui docuit, Deum non salutem omnium hominum velle, sed tantum electorum et improbos non tantum ad aeternas poenas, sed etiam ad culpam et peccata praedestinasse ac propterea hominum actiones non esse liberas, sed inevitabili necessitate ab aeterno divinitus determinatas. Ipsum Faustus impugnavit et cum in synodo Arelatensi 475 "error praedestinationis" rejectus esset, Lucidus se subiecit et post alteram synodum (Lugdunensem) (58) Faustus hortante Leontio Arelatensi archiepiscopo 2 ll. *De gratia Dei et humanae mentis libero arbitrio* edidit, ubi Semipelagianismum multo apertius ac Cassianus docuit, asserens, nostrum esse velle, Dei autem perficere; adjutorium Dei praecipue in lege et praedicatione evangelii (gratia prima, praeveniens, universalis) reposuit, a cujus recto usu dein gratia Christi (gratia specialis) dependeat (59).

Contra hanc Fausti doctrinam praecipue monachi Scythae Constantinopoli insurrexerunt, ejusque libros damnarunt et Hormisdam (514 – 523) Papam ad sententiam suam confirmandam permovere studuerunt. Cum autem apud legatos ejus in urbe regia versantes nihil proficerent, Romam ad ipsum Hormisdam legationem miserunt. Ubi dum longiores morae trahebantur, causae suae patronos quaerentes Joannem diaconum cum professionis fidei libello ad episcopos Africanos tunc in Sardinia exsules dirigebant a. 520. Qui in libro, a Fulgentio Ruspensi episcopo († c. 533) exarato, *De incarnatione et gratia* Scytharum sententias approbarunt. Interim Possessor, unus ex Africanis episcopis fidei causa Constantinopoli exsul degens, de libris Fausti saepe consultus Hormisdas Papae eam quaestionem proposuit. Qui (ep. 70) respondit, Fausti scripta non connumerari libris Patrum in dogmate auctoritatem habentibus; nulla tamen censura eos libros affecit. Catholicam de libero arbitrio et gratia doctrinam ex variis scriptis beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum posse cognosci, caeterum in scriniis ecclesiasticis (Romanis) expressa capitula contineri, quae si Possessor desideret, ei possent transmitti (60). Monachi autem admodum aegre ferentes hoc responsum (61) transmissis Fausti libris iterum se ad episcopos Africanos verterunt. Tunc eorum nomine Fulgentius in 7 ll. *Contra Faustum* (non amplius exstantibus) et post reditum ex exsilio (a. 523) in 3 ll. *De veritate praedestinationis et gratia Dei* S. Augustini doctrinam de gratia et praedestinatione defendit (unde "Augustinus abbreviatus" appellatus), et episcopi in sua ep. synodica Fulgentio consentiebant, in qua Fausti propositiones "commenta, veritati contraria, catholicae fidei penitus inimica" dicebantur (62).

Haec certamina in Sardinia et Africa etiam in Gallia orthodoxos episcopos animarunt, ubi praesertim Caesarius Arelatensis (501 – 542) (63) et Avitus Viennensis archiepiscopus (490 – 523) (64) Augustini doctrinam contra Semipelagianos ibi adhuc vigentes sequebantur. Caesarius contra Faustum librum (nunc deperditum) *De gratia et libero arbitrio*, a Felice IV. Papa laudatum exaravit. Cum deinde hic Papa, a Caesario in auxilium vocatus, sententias quasdam ex Augustini, Prosperi et quorundam Pontificum scriptis excerptas misisset, Caesarius synodum Arausicam II. (mense Julio 529) 14 episcoporum collegit, quae haec capitula in 25 canonibus contra Semipelagianos sancivit propria fidei definitione in epilogo adjecta. In his praesertim initium fidei ex sola gratia Dei esse repetendum (can. 5. 6) atque gratiam ad omnia opera bona necessariam esse ipsaque praevenire ac perseverantiam in bono finalem pariter Dei gratiae adscribendam esse docetur (65). Haec decreta a Bonifacio II. (530 – 532) in epistula ad Caesarium approbata et ab universali Ecclesia recepta sunt (66). Ab hoc tempore Semipelagianismus requievit.

Historia Ecclesiastica. Auctore Dre. Antonio Weiss, Historiae Ecclesiasticae et Patrologiae Professore P. O. in Universitate Graecensi. Tomus I. ORDINARIATU SECCOVIENSI PERMITTENTE. Graecii & Viennae. SUMPTUS FECIT "STYRIA". MCMVII (1907), pp. 373-389. (a)

Nr. 3252

Imprimatur

Graecii, die VIII. mens. Maji 1907.

Leopoldus,

princeps-episcopus.

L. S.

Notae:

(1) De Pelagii bona fama cf. Aug., *De peccat. meritis et remiss.*, III., ep. 186; *Retract.*, II., 23; *De gest. Pelagii*, 46: Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi.

(2) Jam Cassian. (*C. Nestor.*, I., 3 sq.) Nestorianos cum Pelagianis contulit ("cognata haeresis"). Theodor. Mops. scripsit *προς τους λέγοντας, φύσει και ου γνώμη πταίειν τους ανθρώπους* (Photius, Cod. 177) et Julianus Eclan. serius ad eum fugit. Cf. Prosper, *Epitaphium Nestoriana et Pelagiana haereseon*.

(3) "naturae vitio eunuchus matris utero editus".

(4) Pelagius jam Romae verba Augustini: Da quod jubes et jube quod vis (*Confessiones*, X., 19. 31. 37), "cum a quodam fratre et episcopo meo fuissent eo praesente commemorata, ferre non potuit et contradicens aliquanto commotius paene cum eo qui illa commemoraverat litigavit" (Aug., *De dono persev.*, n. 53).

(5) Aug., *De pecc. orig.*, 13: Quid inter Pelagium et Caelestium in hac quaestione distabit, nisi quod ille (Caelestius) apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior, vel certe ille liberior, hic astutior?

(6) Harnack, *D G.*, III², 170 ff.

(7) Mar. Mercat., *Commonit.* I. Aug., *De gest. Pelag.*, 23. Hefele, *C G.*, II², 105, n. 1.

(8) Aug., *Contra duas epp. Pelag.*, III., 24: Haec sunt nebulae Pelagianorum de laude creaturae, laude nuptiarum, laude legis, liberi arbitrii, laude sanctorum; IV., 1-2.

(9) Aug., *Op. imp.*, I. V, accuratius I., 78-82; Libertas arbitrii, qua a Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati et abstinendi a peccato possibilitate consistit.

- (10) A Pelagio possibilitas boni magis praedicatur, dicit enim (*Ep. ad Demetr.*) "in animis nostris naturalis quaedam sanctitas est".
- (11) Pelag. ap. Aug., *De pecc. orig.*, 14: Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur a nobis.
- (12) Aug., *C. Jul.*, IV., 7; III., 27.
- (13) Aug. (*C. Jul.*, III., 44) Julianum appellat "laudatorem concupiscentiae".
- (14) Aug., *Op. imp.*, VI., 14: Juliano peccatum Adami quaedam commoda attulisse videbatur, nam dicit: "Porro ignorantia quam profunda quamque patiendi ejus dura conditio, ut liberari ab ea nisi praevaricatione non posset, scientiam quippe boni malique absque ansa condemnabili nequaquam capessiturus".
- (15) Relationem mortis ad peccatum Julianus non prorsus negavit, sine peccato mors "levissima" fuisset, ast per merita Christi deberet esse sublata, si sequela peccati esset.
- (16) Vide inconsequentiam hujus systematis! Quomodo homo rationalis malus fit? quomodo ratio et mala voluntas in homine? unde consuetudo peccandi?
- (17) Pelagiani quidem publice multum de gratia loquebantur et saepius confessi sunt, hominem tantum adjuvante gratia posse esse sine peccato, ast toties contrarium dixerunt.
- (18) Illuminatio, illustratio mentis, sancta cogitatio a Pelagianis, imo a Juliano gratia adoptionis admittebatur, non autem cordis motio, pia affectio, inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus (Aug., *De gratia Christi*, c. 12; *Contra duas epp. Pelag.*, IV., 5, 11). Aug., l. c., c. 30: Istam gratiam, qua justificamur, i. e. qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S., in Pelagii et Coelestii scriptis numquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.
- (19) Aug., *De gest. Pelag.*, 42.
- (20) Aug., *De gratia*, 34: In omnibus est liberum arbitrium per naturam, in solis Christianis juvatur per gratiam.
- (21) Aug., *De gratia*, 45.
- (22) Harnack, *D G.*, III³, 163, n. 3.
- (23) Oros., *Liber apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate* (Migne, XXXI., 1173-1212, et C S l., V., ed. Zangenmeister, Vindob. 1882). Cf. Hefele, III., 107.
- (24) Aug., *De gest. Pelag.*, 43. 44. Mansi, t. IV, p. 315 sqq. Harduin, t. I, p. 2009 sqq. Hefele, III., 108-113. In hac synodo Pelagius non erubuit mentiri et seipsum anathematizare dicens: "anathematizo illos qui sic tenent aut aliquando tenuerunt". Hier. (*Ep.* 143, 2) synodum Diospolitanam propterea miserabilem appellavit.
- (25) Contra hoc opus scripsit Augustinus tractatus: *De gratia Christi et de peccato originali*.

(26) Orosius etiam multos tractatus a monacho Agricola, Pelagii populari et sectatore scriptos (sicut Caspari, *Briefe, Abhandlungen* etc. putat) attulit. Cf. Möller-Schubert, I., 633.

(27) Aug., Ep. 175-177. Mansi, IV., 322 ff.

(28) Innoc. I. epp. ap. Aug., Ep. 181-183. Mansi, III., 1071 sqq. *Collect. Avell.*, ed. Guenther, C S l., XXXV., 1, Vindob. 1895, No. 41, p. 92 sqq.

(29) *Sermo* 131, 10 (Migne, P L., XXXVIII., 734); cf. *Contra duas epp. Pelag.* 2, 5.

(30) Mansi, IV., p. 355 sqq. Hahn, § 209, p. 288 sqq.: "Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper Dei indigere auxilio, et tam illos errare, qui cum Manichaeo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Joviniano asserunt, hominem non posse peccare; uterque enim tollit arbitrii libertatem". "Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, asserimus esse celebrandum". Et in fine: "In qua (fide) si minus perite aut parum caute aliquid forte positum, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes".

(31) Scriptis Zosimi in favorem Caelestii et Pelagii ad Africanos Bossuetus (*Defensio Declarat.*, l. IX., c. 35) et Janus (*Papst und Konzil*, S. 74) contra infallibilitatem Papae abusi sunt. Attamen distinguenda erat quaestio juris seu dogmatica de perversitate doctrinae quae necessitatem gratiae negabat, quam jam Innocentius I. definitiva sententia deciderat, a quaestione facti de personali heterodoxia Caelestii et Pelagii, in qua Zosimus mitius iudicandum esse putavit. Causae erant 1. quia non Innocentius ipse fidem eorum examinaverat, sed tantum iudicium episcoporum Africanorum secutus erat, quod nunc praematurum fuisse dicebatur; 2. quia nonnulli accusatores (Heros et Lazarus) suspecti, accusati autem haeretici plenam subjectionem sub Romana Ecclesia professi erant, et 3. quia haeretici interim revera se emendasse praesumi poterant. Defectus Zosimi in eo consistebat, quod deceptus a Caelestio errore facti existimavit, ipsum in plerisque esse orthodoxum et quoad quasdam opiniones eum paratum esse Ecclesiae iudicium sequi adeoque non pro haeretico esse habendum. Caelestius enim in suo libello dixit (Hahn, § 210, p. 292 sq.): "Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis ecclesiae et secundum evangelii sententiam, confitemur, quia Dominus statuit, regnum coelorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturae non habent, conferri necesse est per gratiae libertatem. In remissionem peccatorum baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longe a catholico sensu alienum est, quia peccatum non cum homine nascitur, quod postea exercetur ab homine, quia non naturae delictum, sed voluntatis esse demonstratur". Adjecit autem expresse: "ea, quae de prophetarum et apostolorum fonte suscepi, vestri apostolatus offerimus probanda iudicio, ut, si forte ut hominibus quispiam ignorantiae error obrepsit, vestra sententia corrigatur". Jam Augustinus Zosimum optime excusavit, eum probasse in Caelestio voluntatem emendationis, non falsitatem dogmatis (*Contra duas epp. Pelag.*, 2, 5). Ceterum Zosimus nihil in hac re mutavit, sed litem in eodem statu, quo erat sub Innocentio I.,

pendentem reliquit, donec Africani sua argumenta protulerint; deinde examine accuratius instituto haereticos proscripsit. Cf. Jungmann, *Diss.*, IX., t. II, 212-216. Hergenröther-Kirsch, I, 539 ff.

(32) Prosper, *C. collat.* 21 (Migne, PL., LI., 271).

(33) *C. Jul.*, I, 3, 10 et *Op. imp. c. Jul.*, I, 47, ubi provocat ad verbum S. Ambrosii (*Comm. in Luc.*, VII., 234): Fuit Adam et in illo fuimus omnes, periit Adam et in illo omnes perierunt.

(34) *C. Jul.*, V., 4, 17: Ut ergo et anima et caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur renascendo emundetur: profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divinae legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam docere quod nescio.

(35) *De nupt. et concup.*, I., 24, 27: Ex hac, inquam, concupiscentia carnis, tamquam filia peccati et, quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quaecumque nascitur proles originali est obligata peccato.

(36) J. Ernst, *Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin*, Freib. 1871; Z f k Th., XIX. (1895), 177-185.

(37) *Enchir.*, 107: Gratia vero nisi gratis est, gratia non est. *Enchir.*, 32: Nolentem praevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit. *De gratia et lib. arb.*, 17, 33: Praeparat voluntatem et cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens qui volentibus cooperatur perficiens. *De spir. et litt.*, 34: Non credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine et in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire propriae voluntatis est.

(38) *De corr. et gratia*, 8, 17: Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.

(39) *De dono persev.*, 21, 55: Donum Dei esse etiam perseverare usque in finem.

(40) *De dono persev.*, 14, 35.

(41) *Enchir.*, 99, 25: Sola enim gratia redemptos discernit a perditis. *C. Jul.*, VI, 19, 59: Liberantur . . . gratuita miseratione, non debita, quos elegit ante constitutionem mundi per electionem gratiae, non ex operibus vel praeteritis vel futuris. Alioquin gratia jam non est gratia. Quod maxime apparet in parvulis.

(42) Hoc intelligit S. Aug., si de praedestinatione ad aeternam mortem (*De an. et ejus orig.*, IV., 11, 16; *De civit. Dei*, XXII., 24, 5 etc.) loquitur, nequaquam autem, Deum aliquos ad malum, ad peccandum praedestinasse. Verba S. Pauli (1. Tim. 2, 4): (Deus) omnes homines vult salvos fieri exposuit varie, semper autem in sensu suo systemati non contrario. (*De corr. et gratia*, c. 14. 15, n. 44. 47, ep. 217, c. 6, n. 19.

(43) J. P. Baltzer, *Des hl. Augustinus Lehre über Prädestination und Reprobation*, Wien 1871. A. Koch, *Die Auktorität des hl. Augustinus in der Lehre von der Gnade und Prädestination*. T Q Sch., LXXIII. (1891), 95-136. 287-304. 455-487. O. Rottmanner, *Der Augustinismus (d. i. Augustins Lehre von der Prädestination)*, München 1892. Contra Pfülf, S. J., *Zur Prädestinationslehre des hl. Augustin*, in Z f k Th. (1893), S. 483 ff. Cf. Schanz in T Q Sch., LXXV. (1893), 699-703. Bardenhewer, *Patrologie*, 2. Aufl., Freib. 1901, S. 439 ff.

(44) Migne, P L., XLIV., 881-912.

(45) Migne, ibid., 912-946.

(46) Ep. 217, Migne, P L., XXXIII., 978 sqq.

(47) Aug. Ep. 225, 7 ap. Migne, P L., XXXIII., 1006.

(48) Bardenhewer, *Patrologie* (2. Aufl.), 454 ff. Migne, XLIX., 477-1328.

(49) Interdum gratia voluntatem hominis praevenit et facit eum volentem (ut Matthaeum et Paulum), attamen etiam tunc gratia non est irresistibilis.

(50) Libero arbitrio semper cooperatur gratia.

(51) *Collat.* XIII., 7: "Propositum Dei, quo non ob hoc hominem fecerat, ut periret, sed ut in perpetuum viveret, manet immobile, cujus benignitas cum bonae voluntatis in nobis quantulamcunque scintillam emicuisse perspexerit vel quam ipse tamquam de dura silice nostri cordis excuderit, confovet eam et exsuscitat et confortat . . . qui enim ut pereat unus ex pusillis non habet voluntatem, quomodo sine ingenti sacrilegio putandus est non universaliter omnes, sed quosdam salvos fieri velle pro omnibus? ergo quicumque pereunt contra illius voluntatem". 8.: "(Deus) cum in nobis ortum quendam bonae voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei quam vel ipse plantavit vel nostro conatu viderit emersisse". 11.: "sin vero a gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de Zachaei fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus, qui desiderio suo vim quandam regnis coelestibus inferentes specialia vocationis monita praevenierunt?". Cf. Hoch, *Lehre des Johannes Cassianus von Natur und Gnade*, Freib. 1895. *Opp.* Cassiani ed. M. Petschenig (C S l., XIII., XVII.), Vind. 1886 – 1888, t. 2.

(52) Migne, P L., XLIV., 959-992.

(53) Migne, l. c., 993-1034.

(54) Prosper († 463) scripsit: *Ep. ad Rufinum de gr. et lib. arb.* (Migne, P L., LI., 77-90); *Περὶ ἀχαρίστων*, hoc est, de ingratis (l. c., 91-148); *Pro Augustino responsiones ad capitula objectionum Gallorum calumniantium* (l. c., 155-174), ad cap. obj. Vincentianarum (177-186), ad excerpta Genuensium (187-202); *Contra collatorem* (213-276); *Sententiarum ex operibus S. Augustini delibatarum liber et 106 epigrammata* (427-532). Cf. Bardenhewer, *Patrol.* (2. Aufl.), 450-453; Wörter, *Beiträge zur D G. des Semip.*, 80-128; A. Franz, *Prosper von Aquit.*: Öst. Vierteljahrschrift f. kath. Theol., VIII. (1869), 355-392. 481-524. L. Valentin, *St. Prosper d'Aquit.*, Paris et Toulouse 1900.

(55) *Coelest. I.*, Ep. 21 ad episc. Gall. ap. Mansi, I., 454 sq.; c. 2: Augustinus laudatur; c. 3: "Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiae Dei, cujus operi ac dignatione nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas Apost. Sedis nos scripta edocuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuit praefixis sententiis esse contrarium". Coelestinus nempe quasdam sententias Pontificum et conciliorum quasi normam, non autem ceu definitivam suam sententiam epistulae adjecerat.

(56) Liber *De vocatione omnium gentium* (Migne, P L., LI., 647 sqq.) vel Ambrosio vel Prospero et a Quesnellio diacono, postea Papae Leoni injuste tributus est (Ballerini, *Opp. Leon. M.*, in Diss. II. Quesnell. § 2). Doctrinam ejus exposuit Wörter, *K g St, V., 2., S. 3 ff.*

(57) *Praedestinatus*, ed. Sirmond S. J., Paris 1643 (Migne, P L., LIII., 587-672), qui eum Arnobio juniori adscripsit (cf. Bardenhewer, l. c., 533). In hoc libro quoad praedestinationem dicitur: "quos Deus semel praedestinavit ad vitam, etiamsi negligant, etiamsi peccent, etiamsi nolint, ad vitam perducentur inviti; quos autem praedestinavit ad mortem, etiamsi currant, etiamsi festinent, sine causa laborant".

(58) De Lucido et his synodis vide Hefele, II², 597-601. Noris (*Historia Pelagiana*, Patav. 1677) praeter Lucidum etiam Monimum Africanum, qui docuit, partem hominum a Deo ad peccandum praedestinatum esse, Praedestinatianis annumerat.

(59) H. Koch, *Der heil. Faustus, Bischof von Riez*, Stuttgart 1895. Bergmann, *Die dogmatischen Schriften und die Briefe des Faustus von Reji* (Diss.), Dorpat 1898; *Studien zu einer kritischen Sichtung der südgallischen Predigtliteratur des 5. und 6. Jahrhunderts: I. Der handschriftlich bezeugte Nachlass des Faustus von Reji*, Leipzig 1898.

(60) Fessler-Jungmann, *Institutiones Patrologiae*, II., 2, 398-432. Bardenhewer, 544-546. In decreto Gelasii R. P. *De recipiendis et non recipiendis libris* (ed. Thiel, Braunsb. 1866) inter apocrypha recensentur *Opuscula Fausti Rejiensis*. Sed decretum hoc non genuinum esse graves critici censent. Cf. J. Friedrich, *Über die Unechtheit der Decretale De rec. et non rec. libris des Papstes Gelasius I.* (Sitz.-Ber. d. k. bayr. Akad. d. Wiss. zu München, philos.-philol. u. hist. Kl., 1888, I., 54-86). Th. Zahn, *Gesch. des neutest. Kan.*, II., 1 (1890), 259-267. Cf. Bardenhewer, 547 ff.

(61) Monachi enim praesertim, quod turbulenta cum obstinatione urgerent sententiam de uno ex Trinitate passo (vide p. 351) acriter vituperabantur. Joannes Maxentius, unus illorum monachorum antesignanus huic Pontificis Romani epistulae respondit, quam ut liberius ac petulantius convelleret, suppositam esse fraudulenter finxit.

(62) Hefele, II., 697.

(63) Bardenhewer, 539 ff.

(64) Bardenhewer, 538 f.

(65) Mansi, t. VIII, 712 sq., 721 sq. Harduin, t. II, p. 1098 sqq. Hefele, II², 724-740. Hahn, § 174, p. 220-227. De can. 22 vide Hefele, l. c., 733 f.; J. Ernst, *Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin (nebst einem Anhang über den 22. Canon des Arausic. II.)*, Freib. 1871. Nonnulli (Noris, *Hist. Pelag.*, II., 23; Pagi, Ad ann. 529. 8 sqq.) synodum Valentiam post Arausicanam habitam fuisse dicunt, quia decreta Arausicani Concilii non ab omnibus recepta fuerint. Alii autem (Hefele, II, 738 ff., Harnack, *D G.*, III², 230, n. 4) Arausicanam synodum Valentinae postponunt. Acta synodi Valentinae non exstant et tantum in *Vita S. Caesarii* a Cypriano diacono exarata (l. I., 35. Cf. Mansi, VIII., p. 723) de hac synodo sermo est.

(66) Bonif. II., Ep. ap. Mansi, l. C., 735 sq.

(a) Cf. 1) Józef kard. Hergenröther, [*Pelagianizm. – Nauka Augustyna. – Opozycja przeciwko nauce Augustyna. – Pólpelagianizm.*](#)

2) Ks. Władysław Szcześniak, [*Dzieje Kościoła katolickiego w zarysie. Herezje antropologiczne. – Pelagianizm. – Semipelagianizm. Predestynacjanizm.*](#)

3) Sac. Andreas Retke, [*Patrologiae Compendium.*](#) a) [*S. Augustinus.*](#) b) [*S. Fulgentius Ruspensis Episcopus.*](#)

4) S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, [*De fide seu de regula verae fidei ad Petrum liber.*](#)

5) Sac. Bernardus Jungmann, [*Institutiones Theologiae dogmaticae specialis. Tractatus de Gratia.*](#)

6) Codex Juris Canonici, Pius Papa IV, [*Professio Catholicae Fidei*](#) ([*Wyznanie Wiary katolickiej*](#)).

7) S. Pius Papa V, [*Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini*](#) ([*Katechizm rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego*](#)).

8) Urbanus Papa VIII, Benedictus Papa XIV, [*Professio Fidei Orientalibus praescripta*](#) ([*Wyznanie Wiary dla chrześcijan wschodnich*](#)).

9) P. Ferdinandus Cavallera SI, [*Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.*](#)

10) Dr. Leo Wałęga, Episcopus Tarnoviensis, [*De hominis elevatione per gratiam sanctificantem dissertatio.*](#)

11) P. Christianus Pesch SI, [*Compendium Theologiae dogmaticae.*](#)

12) S. Alphonsus Maria de Liguori, Ecclesiae Doctor, a) [*Opera dogmatica. \(Ex italico sermone in latinum transtulit, ad antiquas editiones castigavit notisque auxit Aloysius Walter CSsR\).*](#) b) [*De Mariae gloriis.*](#)

13) Pius Papa XII, a) [*Litterae encyclicae "Mystici Corporis Christi"*](#) ([*Encyklika "Mystici Corporis Christi", O Mistycznym Ciele Chrystusa*](#)). b) [*Enchiridion indulgentiarum.*](#)

14) Sac. Franciscus Zeibert, [*Compendium historiae ecclesiasticae. In usum clericorum Seminarii Brunensis.*](#)

(Notae ab ed. **Ultra montes**).

bl # 6542 II

165

HISTORIA ECCLESIASTICA.

AUCTORE

DRE. ANTONIO WEISS,

HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET PATROLOGIAE PROFESSORE P. O.
IN UNIVERSITATE GRAECENSI.



TOMUS I.

~~8, 102~~

ORDINARIATU SECCOVIENSI PERMITTENTE.



GRAECII & VIENNAE.

SUMPTUS FECIT „STYRIA“.

MCMVII.

([HTM](#))

© *Ultra montes* (www.ultramontes.pl)

Cracovia MMXVIII, Kraków 2018